

ziam invitavit, cui respondit ille se libenter et cupide venire velle, Marulus, lib. V. c. X.

Secundo, si totis visceribus expediri ab hoc sæculo, et Christo jungi cupiamus in altero; sic enim ei quodammodo obviam eximus, quasi moræ impatientes et mundum fastidientes. Jam vero, qui amico expectato obviam procedunt, semper ipsum cogitant, de ipso crebro loquuntur, uti mater et uxor Sisaræ, Jud. V. conscendunt eminentiora loca, ut venientem a longe videant, uti mater Tobiae, Tob. XI. Hoc ergo et nos faciamus. In hujus rei figuram duo illi Cherubini in tabernaculo Moysis ita facti erant, ut alas suas extenderent quasi volaturientes versus propitiatorium, Exod. XXV sic enim volaturiebat David licet tantus in mundo rex: *Quis dabit mihi penas sicut columbæ; et volabo et requiescam?* Atque hoc est exire de mundo, seu mori mundo quod omnino est necessarium, si velimus vivere Deo quia Jacobo teste, capite IV. *Quicumque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*: talis Sancta Monica, quæ paulo ante mortem dicebat ad Sanctum Augustinum filium: *Fili quantum ad me attinet, nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc et cur hic sim, nescio, jam consumpta spe hujus sæculi*, Augustinus, libro IX confess. capite X.

IV. Vigilemus, ita videlicet, ut semper parati simus occurrere sponso nostro cum bonæ conscientie lampade, quia nescimus quando venturus sit et plerumque media nocte, id est, cum minime existimatur, solet advenire. Nemo ergo se decipiat, aut certum sibi tempus promittat: *Quia dies Domini sicut fur in nocte, ita et veniet: cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus*, inquit apostolus, I. Thessal. cap. V. et S. Job. cap. XXVII. *Nocte operimet eum tempestas*, inquit. Quæ verba Pagninus vertit: *Mox furatus est eum turbo*. Sic furatus est Pharaonem, qui maximo cum exercitu et pompa, nec minore præsumptione et supercilio ingressus est post Hebræos in mare rubrum adhuc divisum dicens: *Persequar et comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea*. Sed cum credebat se maxime securum: *Flavit spiritus tuus Domine, et operuit eos mare et submersi sunt quasi plumbum*, etc. Exod. XV. Et tunc cum vidit Pharaonem super se aquas, fugere conabatur, dicens: *Fugiamus Israel: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Sed quid obtentum? Fugientibus Ægyptiis occurrerunt eis aquæ, et involvit eos Dominus in mediis fluctibus, ita videlicet ut nullibi reperirent effugium, non currum, non equum, non ducem, non tabulam cui innixi possent effugere, Exod. XIV. Idem hoc

evenit fatuis virginibus, dum dormire inceperunt. Etenim repente: *Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei*. Sed quid illæ? *Tunc surrexerunt*, tunc inquam, quando jam tempus non erat parandi se et mandandi lampades. Dum enim eunt emere oleum, venit sponsus. Sic ergo peccatores; dum componunt se ad somnum, hoc est, dum se nondum morituros existimant, ideoque temere se ingerunt periculo damnationis, dum bonos prosequuntur, et Deum suis sceleribus impetunt; quando putant se tutissimos, opprimit eos tempestas morbi lethalis, et cum effugere conantur per penitentiam, impediuntur a curribus et equis, id est, mentis anxietatibus et corporis doloribus, ut nequeant sibi prospicere, conteri, confiteri, etc. Non inveniunt, vel unum, qui porrigat eis manum; atque ita furatur demum eos turbo. Sic furatus est Chrysaorium illum, qui videns in extremis assistentes sibi dæmones specie terribissima, filium suum Maximum maximis clamoribus vocare cepit: *Maxime, curre, Maxime curre, nunquam tibi aliquid mali feci, in fidem tuam me suscipe*. Accurrit statim Maximus unaque lugens et perstrepsens familia, sed nihil asferre poterant auxilii, moriendum fuit desperato, scribit S. Gregorius, hom. XII. quæ est in hodiernum evangelium. Parum aut nihil juvat clamare in aures morituri. Ipsi dum sanæ mentis sunt, sibi prius consulant frequentando sacramenta, audiendo sedulo conciones, vigilando in orationibus; et imprimis quotidie examinando conscientiam suam; hoc enim modo optime vigilabunt, Deoque suo occurrent. Quemadmodum nihil profecisset, qui ad littus maris rubri stans acclamasset Pharaoni: *Urge et stimula equos, fortiter apprehende currum, insula equos, labora et exere ad enatandum vires*, etc. ita parum aut nihil prosunt, qui morientibus demum in aures clamant, si illi prius sibi non prospexerunt.

V. Ornemus lampades nostras omnis generis virtutibus. Sic enim virgines prudentes ultra oleum addiderunt lampadibus etiam ornatum, puta tergendo eas et expoliendo, coronando floribus, adornando picturis, etc. Sic Rebecca obviam veniens sponso Isaaco: *Descendit de camelo et operuit se pallio, quo honestius ei occurreret*, Genes. cap. XXXIV. sic Pericles philosophus, ad nuptias pulchri juvenis iturus, præter morem se ornabat. Causam rogatus, dicebat: *Ut pulcher ad pulchrum vadam*. Ergo ut sponsus nostro cum debito obviamus ornatu et pulchri ad pulchrum eamus, vicina imprimis morte: primo, tergamus lampadem cordis nostri ab omni inquinamento per penitentiam et veram contritionem; et si adhuc vi-

tium aliquod vel affectum inordinatum erga creaturam aliquam deprehendamus, eluamus maculam. « Quis credat militem bellicosum (inquit Vegetius, lib. II. cap. XIV.) cujus dissimulatione ferrum et arma situ et rubigine fœdantur. » Miles ergo christianus tergat arma sua: *Surgite principes, arripite clypeum*, ait Isaias, cap. XXI. Chaldaeus vertit: *Tergite et lucida facite arma*. Secundo, fidei protestationem edamus, tum ad fidem in nobis corroborandam, tum in exemplum aliorum. Ita præter alios Gonsalvus Mederius societatis Jesu Hispanus, moriens crecum accendi jussit, tum symbolo apostolorum prolato: « In hac, inquit, fide institutus sum, in hac vixi, in hac morior; testorque si quid forte in extremo agone accidat mihi, jam nunc indictum et irritum velle, etc. » histor. societ. p. I. l. XII. n. LXVI. Tertio, demus omnibus veniam, eamque petamus ab iis, quos offendimus; itaque: *Sol non occidat super odio et iracundia nostra*. Quarto, patienter feramus ægritudinis molestias, et in his nobis gratulemur, si sint vehementes. Ita S. Edildrida cum in collo, gravi torqueretur ulcere, sibi gratulabatur, quod ibi nunc cruciaretur, ubi olim gestare solita erat ornatum profanum, quare ulcus illud sibi pro auro et gemmis esse dicebat, Beda, lib. IV. cap. XIX. eccles. histor. Angl. ita S. Fulgent. episcopus in ægritudine orabat: *Domine da mihi modo patientiam et postea indulgentiam*. Quinto, addamus alia penitentiae et humilitatis opera ad exemplum sanctorum et piorum aliquot Christianorum, qui vel cilicio vel humi in cinere, uti Sanctus Martinus, mori voluerunt: Sanctus Hieronymus morte appropinquante deponi se in humum jussit et contegi cilicio; similiter Sanctus Franciscus: alii petierunt ut humili loco, sine omni pompa et a mendiciis sepelirentur: Sanctus Gregorius Thaumaturgus, ne alicujus loci possessor esset, voluit in alieno sepeliri tumulo. Sexto, Deo soli vacemus in oratione et meditatione, in contemptu mundi et desiderio regni cælestis. Ita S. Augustinus, S. Joannes anachoreta, S. Elisabetha et alii, aliquot diebus ante obitum excluserunt a se adventantes homines, ut soli Deo liberius vacare et paratiores possent occurrere: S. Ambrosius brachiis in crucis formam late expansis voluit obire; similiter S. Ludovicus Gallie rex. Jam vero si sponsa, ut sponso suo placeat, quantum potest se adornat, annon potius nos ut immortaliter placeamus sponso, adornare nos debemus? S. Nonnus episcopus visa Pelagia superbissime adornata in urbe Alexandrina, lacrymarum vim profudit et in se ipso erubuit, quod se ipse Deo nunquam sic adornasset, sicut illa se mundo,

Surius, in vita Pelagiæ. Quod si sponsæ Assueri per annum integrum se præparare debebant, ut regi adducerentur desponsandæ, ut habetur in lib. Esther, cap. II. quanto æquius est ut Christo sponso nostro æterno toto nos præparemus vitæ spatio?

CONCIO VI.

TEMPUS BENE EXPENDENDUM.

I. Quia breve. — II. Quia dubium. — III. Quia pretiosum. — IV. Quia irrevocabile.

THEMA.

Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. XXV.

Regi Assuero gynæceum fuisse legimus in libro Esther, cap. II. in quo Esther virgo erat speciosissima, et regi imprimis placens, uxor ejus futura, sed antequam in regiam domum ac thorum assumeretur, præparari per aliquot menses ad ornatum debuit, oleo myrrhino inungi, deinde aliis pigmentis. Præcepit etiam ut acceleraretur illa præparatio et mundus muliebris, qui ad ornatum ejus pertinebat, ut ita ejus aspectu et consortio cito frui posset. Postquam igitur ita adornata et parata esset Esther, ad Assuerum evocata placuit ei super omnes mulieres, ab eoque regio diademate coronata, in uxorem est assumpta nuptiali adhibito convivio. Mystico sensu, Assuerus Christum denotat, qui suum hic gynæceum fidelium animarum habet sub cura summi animarum pastoris, Romani pontificis. Verum si qua illarum sponsa Christi fieri et regnare cum eo in cælis velit, præparari prius in hac vita debet et oleo bonorum operum, ac virtutum pigmentis adornari: quodque amplius est, præcipitur etiam a Christo non differri, sed accelerari hanc præparationem, ut quodcumque ipsi placuerit, sponsam suam evocare et in domum suam cælestem introducere, cumque ea nuptias celebrare perennes possit. Hoc est, auditores, quod docemur in hodierno evangelio, cum audimus: *Quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*: instructæ nimirum oleo et ornatu lampadum. Cæterum nunc audiamus cur ornatus iste accelerari debeat.

I. Ob temporis brevitatem, quæ indicatur in brevi illo dimidiatæ noctis tempore, quo se ad somnum capessendum composuere virgines. In hunc enim modum, dum nos in hac vita quasi ad somnum componimus et quietem, ea certa spe, quod velimus dormire tota nocte, hoc est,

gaudere multo tempore hujus mundi bonis; tum ecce subito excitamur a morte et abripimur, cum vix medium speratæ ætatis viximus, et dulcissimam quietem primum sperabamus. Sic cum Jonas componeret se ad quietem subter hederam, statim diluculo paravit Dominus vermem, qui exedit eam; unde ille vento calido et urenti expositus mansit, Jon. IV. Hoc expertus est dives ille, qui dicebat: *Anima habes multa posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetunt animam tuam a te; et quæ parasti cujus erunt?* Luc. XII. Quam bene itaque dixit S. Augustinus: « Quid aliud est vita quam cursus ad mortem? » Et S. Greg. Nazianz. « A tumulto tumultum peto: » et Seneca, epist. LIX. « Mox ut in vitam ingredimur, statim alia porta exire incipimus. » Quod si a vita nostra pueritiam et senium, tempus etiam, quod somno et cibo impendimus, tollamus, quam parum restabit, quod animæ salutis impendi queat? Quando ergo tam brevis est vita nostra, annon tanto studiosius incumbere debemus bonis operibus parandis? Falcones Norvegiæ, quia brevissimi sunt ibi dies, magna cum velocitate et aviditate prædantur, ne videlicet a nocte præveniantur. Merito igitur exprobrat ignaviam Deus hominibus, Jerem. VIII. quod velut equus impetu currant in prælium, nec præparent se ad futurum iudicium, ubi etiam subdit: *Milvus in cælo cognovit tempus suum: populus autem meus non cognovit iudicium Domini.* Quando sartor parum habet panni ad conficiendam vestem, tunc antequam eum scindat, sedulo metitur per ulnas, nihil temere abjicit, et quibus potest extendit modis, ut habeat sufficientem. Similiter ergo quoniam scimus paucos esse dies nostros, ideo sedulo eos metiri, et nihil perdere debemus, sed omnes eorum horas utiliter collocare. Certe Christus in suis sermocinationibus non solebat metiri tempus per annos, menses vel septimanas, sed per dies, horas et momenta. Uti: *De die illa et hora nemo scit: Nondum venit hora mea: Non est vestrum nosse tempora vel momenta: et in hodierno evangelio: Vigilate itaque quia nescitis diem neque horam.* Ad indicandum, quod veluti aurum aut crocum, parce debeamus ponderare et expendere tempus, singulas nimirum horas singulis destinare actionibus bonis et honestis: nullam ejus particulam abjicere, sed bene collocare. Quare seipsos fallunt, qui fallendi temporis gratia sectantur inutilia.

II. Ob temporis incertitudinem, quæ designatur in hodierno evangelio, dum dicitur: *Media nocte* (inopinato scilicet et inexpectato) clamor

factus est de adventu sponsi. Quis, quæso, media nocte expectaret adventum sponsi? Solet enim sponsus prodire cum sponsa, quando omnibus conspicuus esse potest. Sed non ita venit sponsus ille cælestis: imo adventurum se dicit uti furem, Luc. XII. et Apocal. III. Nemo ergo dormire debet, sed perpetuo vigilare ad bene operandum. Si quis enim rex civitatem tibi vel privilegium aliquod donaret, ita tamen ut priusquam peregre proficiscatur, litteras donationis factæ sigillo regio consignari faceret, nec tamen nominaret tibi horam discessus sui: nonne curreres et festinares, ut quamprimum litteræ scriberentur et a rege signarentur? Noverat Christus numerum dierum suorum, et tamen dixit Joan. IX. *Me oportet operari donec dies est, venit nox quando nemo potest operari.* Audimus Ezechiam regem vita desperata lamentantem: *Præcisâ est velut a te ætate vita mea, dum adhuc ordire succidit me,* Isa. XXXVIII. Quando militibus conceditur a duce prædari in civitate occupata, nemo illorum est, qui non festinantissime percurrat undique domos, cellas, cubilia, etc. quia metuit ne si moram fecerit, nihil amplius inveniatur, aut prædandi libertatem factam dux inhibeat. Sic faciebat apostolus ad Philip. III. scribens: *Ad ea, quæ priora sunt extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis: et alibi suadet: Sic currite, ut comprehendatis,* quia nimirum periculum est, ne repente cursus noster inhibeatur. Ita etiam S. Antonius seipsum ad progressum admonens dicere solebat: *Hodie æpi currere, hodie cæpi Deo servire, hodie forte et finiam.*

III. Ob temporis pretiositatem; possumus enim hic parare nobis oleum honorum operum, quod sit fomentum luminis gloriæ in omnem æternitatem: possumus etiam ornare lampades animarum nostrarum splendidissimis virtutibus, ita ut ipsi Deo placeant: possumus fieri sponsæ Christi et reges in cælo. Nunc anni fertilitatis sunt: succedent steriles, quibus tradere te in servitutem cogaris præ fame ut subditi Pharaonis, Genes. cap. XLVII. nunc patet horreum Pharaonis, unde emi frumentum potest: *Quare ergo negligitis? Descendite et eruite nobis necessaria ut possimus vivere,* ait Jacob filiis, Gen. cap. XII. Imo uno temporis instanti, infinita gloriæ merces comparari potest. Unde monet Ecclesiasticus, etiam minimarum partium temporis rationem habendam, cap. XIV. cum ait: *Non defraudaris a die bono, et particula boni diei* (ut alias legitur) *non te prætereat.* Idcirco etiam apostolus emi quasi redimique tempus jubet jacturam temporalium honorum ad Ephes. V. tamquam rem

illis longe præstantiorem, si quieti animæ et Dei servitio impendatur: *Videte itaque fratres, inquit, quomodo caute ambulatis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Hoc vero fit secundum Augustin. serm. XXIV. de verbis apostoli, cum quis illud negotiis sæcularibus subtrahit, ut quiete sua fruatur, et Deo vacare possit: *Quando, inquit, aliquis tibi infortiorem, perde aliquid, ut Deo vaces non litibus: id enim quod perdis, pretium est temporis, sicut enim das nummos et panem emis, itaque aliquid amittes et aliquid acquiris: sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus vacandi Deo; hoc est enim tempus redimere.* Sic ille. *Mercatum hanc vitam existima,* ait, S. Gregor. Nazianz. in sententiis, *si negotiatus fueris, quæstum facies, etc.* Ad has nundinas mittit nos Dominus, Mat. 24. cap. XXV. *Negotiamini dum venio,* ait. Sed heu pauci ita emunt tempus, plures emunt sibi negotia sæcularia et inutilia vel otium ipsa temporis jactura. Quam multi enim dant missam vel concionem pro exiguo lucro, itinere, societate, etc. *Ecco nunc tempus,* ait apostolus, *acceptabile,* et tempus nundinarum est, in quibus levissimo pretio comparare nobis possumus margaritas pretiosas.

IV. Ob temporis elapsi jacturam seu irrevocabilitatem, quæ designatur in evangelio, cum dicitur: *Cum autem irent emere* (ubinam emerent, nundinis jam finitis?) *venit sponsus, et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias; et tum fatuæ exclusæ audiunt: Nescio vos,* Hoc est quod angelus Domini juravit per viventem in sæcula sæculorum: *Quia tempus non erit amplius,* Apocal. cap. X. Unde Clemens Octavius pontifex, cum apud eum plures de variarum rerum jactura conquererentur, ille temporis jacturam omnium maxime deplorandam aiebat, quod semel amissum revocari non possit, Coll. ex apophtheg. de principe Henr. Farn. Accedit Seneca ad Lucil. epist. I. « Turpissima, inquit, temporis jactura est, quæ per negligentiam fit; et si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. » Veteres pinxere tempus stans super globum, quia semper rotatur: alas in plantis gerens, quia semper avolat: novaculam in manu gerens, quia omnia conficit: fronte capillatum et retro calvum quia elapsum revocari nequit, instans solum capi potest. Quam multi ex inferno, purgatorio, imo et cælo tempus apprehenderent, si retro capillatum esset? Idem accidet forte nobis in articulo mortis, unde Dominus, Luca cap. XVII. ait: *Venient dies, quando desiderabitis videre unum diem Filii hominis et non videbitis.*

Ergo: *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes,* inquit apostolus ad Galat. VI. similiter Ecclesiastes monet, cap. IX. *Quodcumque potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quod tu properas.* O quantum affliget damnatos temporis jactura? Quam libenter ferrent pœnas suas ad annorum aliquot millones, si vel unam temporis horam pœnitentiæ capacem impetrare possent? Quod ergo ibi optaremus, hic dum vivimus, arripiamus.

CONCIO VII.

CUR VOLUERIT DEUS HORAM MORTIS NOBIS ESSE IGNOTAM, ET VITAM NUNC BREVIOREM QUAM OLIM

I. Propter bonum publicum. — II. Propter pacem et tranquillitatem. — III. Ne bona multa omitterentur. IV. Ad refræandam peccandi libidinem. — V. Ad meritum cumulandum. — VI. Cur vita adeo accisa: 1. Ob destructionem complexionis. 2. Ob ignorantiam nostram. 3. Ob intemperantiam. 4. Ob rebellionem creaturarum. 5. Ob Dei arcanam voluntatem.

THEMA.

Vigilate itaque, quia nescitis neque diem, neque horam. Matth. XXV.

Videri posset alicui sponsus hodierni evangelii nimis fuisse immitis erga virgines fatuas, dum tardius advenientes exclusit a nuptiis. Cur enim dicere non potuissent: Domine, tu causa es, quod serius ad nuptias paratæ veniamus. Tu quia nimis parum temporis nobis indulsisti, medietatem noctis tantum ad parandas lampades nostras: quod si plusculum tardasses et distulisses adventum tuum, forte parassemus; tum, quia inexpectato, media nocte præter nuptiarum morem nuptialem instituisti pompam: quod si nobis certam designasses horam gratissimi adventus tui, paratas nos et vigilas absque dubio invenisses. Posset, inquam, aliquis istud cogitare. Sed his non obstantibus, exclusæ sunt fatuæ. Et quid sibi vult hoc? Nimirum insinuat nobis sponsus, tempus vitæ nostræ breve esse, diem esse, horam esse; et hanc ipsam diem interim et horam nobis esse ignotam: ideoque semper vigilandum, et semper expectandum suum esse adventum. Sed hoc ipsum est, dicent aliqui de quo nos conquerimus, brevis vitæ nimirum et incertitudo. Hoc est, quod dicit Seneca, libro de brevitate vitæ, cap. I. « Major pars mortalium, inquit, de naturæ malignitate conquiritur

ritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velociter, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant, adeo et exceptis admodum paucis, cæteros ut ipso vitæ apparatu vita destituat. Nec huic publico, ut opinantur malo, turba tantum et imprudens vulgus ingemuit, clarorum quoque virorum hic affectus querelas evocavit. Inde illa maximi medicorum Hippocratis exclamatio est: Vitam brevem esse longam artem. Inde Aristoteli cum rerum natura exigenti, minime conveniens sapienti viro, lis est: illam animalibus tantum indulsisse, ut quina aut dena sæcula edurent, homini in tam multa ac magna genito, tanto citiorem terminum stare. » Sic ille. Ergo quid imprimis causæ est, quod ignotam nobis voluit Deus esse mortis horam?

I. Propter bonum publicum, ut sic homines non sibi tantum, sed posteris etiam viverent. Alioquin si scirent homines vitæ suæ terminum, plerique arbores non sererent, vineas non plantarent, domos non ædificarent. Plurimi item omnia absumerent, et posteris nihil de substantia sua reliqui facerent. Inde multi liberi hæreditate privarentur, eo quod eorum parentes sibi tantum consulerent omniaque absumerent. Imo multi adeo malitiosi forent, ut sua perderent ac destruerent, defoderent, vel in flumina abjicerent, ne posteris remanerent. Sane reperiuntur nonnulli parentes, qui in odium liberorum dicant se omnia sua bona dilapidaturos, ne quid illis reliqui sit: idque etiam facerent, si scirent horam mortis suæ. Imo etiamnum reperiuntur, qui quasi præscirent mortis suæ diem, omnia abliguriunt et facto ipso loquuntur id Isaïæ XXXII. *Comedamus et bibamus, cras enim moriemur*, quid fiet si hoc cras futurum certo præviderent? Aliqui Epicurei dicere non erubescunt, si in agone suo viderent, vel unum vini vitrum pone remanere, id pede se eversuros, ne quid post se reliquum foret. Et quid mirum si talibus in inferno negetur gutta aquæ?

II. Ad pacem et tranquillitatem conservandam. Nam qui scirent se multis annis victuros, iras et inimicitias suas persequerentur, insolescerent et tyrannice alios opprimerent.

Contra qui scirent brevi se victuros, animo nimis dejecto semperque tristes, adeoque aliis molesti et onerosi essent, ac veluti Cain profugi circumirent mortem semper timentes servili quodam timore et inutili, sicut plectendi, quibus dies mortis prædicatur; imo multi in desperationem caderent, et præ horrore mortis, ad eam se disponere non possent, maxime qui natura pavidi sunt, sicque eorum pœnitentia coacta, et parum utilis foret. Modo autem quia semper

aliquantula spes vitæ superest, locum non habet nimia illa anxietas; et ex altera parte periculum præsens monet, ut homo disponat domui suæ, sicque intra spem et metum retentus commodius et majori cum fructu præparare se ad mortem potest. Minus itaque prudenter Julius Cæsar cum interrogaretur, quod genus mortis optimum esset, respondit: *Inopinatum*; id quod etiam obtinuit, confossus in senatu viginti tribus vulneribus, Plut. apophth. Quia licet mors inopinata et repentina anxietatem adimat, hominem tamen imparatum opprimit.

III. Quia alias plurima bona omitterentur. Nam si ægrotans homo sciret, se in ea ægritudine non moriturum, non confiteretur, nec communicaret, Deum et sanctos non invocaret, vota non faceret, missas dici, et eleemosynas fieri pro se non curaret, injurias non remitteret, propositum non faceret emendandæ vitæ; sed omnia ista differret ad finem vitæ. Et non decet, neque vult Deus, ut solum in vitæ periodo ipsi serviantur, et bonis operibus studeatur; sed potius ut totam in ipsius obsequio consumamus, quia totam ei debemus: et ita plus in cælo mereamur. Est ergo hæc mortis incertitudo virga quædam, qua Deus nos a torpore ad resipiscentiam et studium honorum operum veluti ludimoderator excitat, juxta id Psal. VII. *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit et paravit illum, et in eo paravit vasa* (id est, instrumenta) *mortis*. Utitur autem gladio ad feriendos senes, arcu ad feriendos juvenes. Mortis apparatus et quasi instrumenta sunt, medicus adveniens et medicinæ præparatæ, sacerdos item s. viaticum afferens, imago Crucifixi proposita, aqua lustralis, etc.

IV. Ut refrænaret nos a peccandi libidine et pertinacia, dum mortem semper habere suspectam debemus. Hinc enim monemur, ut semper parati simus ad hospitem illum suscipiendum, quandocumque pulsaverit fores nostras, et ne ad momentum quidem in peccato persistamus. Sic enim præsidarii milites semper excubias agunt, quia nesciunt quando vel ab hostibus obruantur, vel a suis ducibus explorentur.

Et tamen amissa munitio recuperari potest, non item vita semel perditâ; plus ergo vigilandum ne a morte præoccupemur, quia bis non licet mori. Unde S. August. lib. de doctr. christ. *Latet ultimus dies*, inquit, *ut observentur omnes*. Itaque omnes dies, horæ et momenta suspecta nobis esse debent; quia nescimus, quod eorum interitum nobis machinetur. Si te oporteret successive septem panes comedere in quorum uno venenum latere certo tibi constaret, non ad singu-

los trepidares: et si ordine simili ad septem iturus esses amicos, de quibus dixisset tibi in aurem propheta quispiam: Horum unus gestat sicam ad te conficiendum, et reipsa te conficiet: nonne timeret, nonne, et disponeres domui tuæ quovis tempore? Quid autem aliud sunt hebdomadæ cujusque dies, quam amici quidam et panes ordine recurrentes, quorum unus indubie tibi postremus erit, et mortis spiculum in te vibrabit prius occultum? Quod si modo cum nesciamus horam mortis tam audaces ad peccandum sumus; quid fieret si sciremus? Exemplo ostendam. Accidit forte ut vir nobilis in alienis ædibus ludo se delectet iisque ad multam noctem. Quod videntes famuli ejus, alii somno se dedunt, alii hinc inde vagantur per civitatem. Interim surgit dominus et domum vult repetere, quærit et vocat famulos: sed nemo illorum compareret, nisi forte ad extremum infimus illorum, qui pene adhuc somnians facem affert, accendit et domino suo præfert. Dicite jam, quæso: Si scivissent isti famuli certam horam, qua dominus discessurus esset, nonne multo adhuc audacius somno se dedissent, vel ad alia abiissent? simili ratione cum modo tam audacter dormiamus in peccatis et semper in pejus proficiamus, quando nec unam horam polliceri nobis possumus; quid quæso ageremus, si horam illam sciremus, qua Dominus noster venturus est? Hannibal quamdiu Scipionem instare sibi sciebat, arma nunquam exiit, nisi vigilantibus ducibus; quanto fortior mors Scipione? Semper ergo in armis stemus contra hostem istum, quia semper nobis a tergo est: thorax æneus, quo semper muniti esse debemus, est justitia, quæ complectitur omnem virtutem.

V. Causam quintam addit S. Chrysost. in I. Thessal. cap. V. « Justi enim non tantum mercedis haberent periculis objecti: quia compertum haberent se nunc haud morituros, sed post tot, v. g. annos. Nunc vero cum incertum sit, evadant ne periculis, an secus, ne vel sic tamen mortem evadere laborant, perspicacia eorum virtus est. Quemadmodum enim tres pueri ea de causa majorem admirationem merentur, quod cum non satis novissent, aut ex igne essent evasuri necne, neque sic tamen statuam adoraverunt: propterea obitus noster erit tamquam fur in nocte. »

VI. Deinde, quæ causa esse potest, quod hominis vita adeo accisa sit, cum tamen ante diluvium fuerit tam longæva?

Respondeo primam causam esse, destructionem complexionis humanæ, quæ a prima sui creatione optima erat, firma ad conservandam seipsam, fortis ad resistendum contrariis, nec-

dum tot morbis vitata. Nunc autem morbis, vitiis et deliciis fracta et debilitata est, addo etiam immatura conjugia, ex quibus oritur et ipsorum conjugum tabes et marcor: et liberorum innata quasi ac perpetua infirmitas: neque enim fortes creantur nisi fortibus. Isaac anno ætatis quadraginta, Jacob octoginta quatuor primum iniere matrimonium. Aqua in ipsa fonte optima et vivacissima est, quanto vero per plures canales ducitur, tanto magis maceratur; ita natura humana ipso factore Deo optima quidem prodiit, postea tamen per canales generationum ducta debilitata et fracta est. Vinum eo, quo crevit et emitur loco, purum est et præstans; sed quo longius ab auribus abducitur, eo fit deterius: quoniam a victoribus adulteratur magis et magis aquæ admixtione. Sic natura humana, in prima sui creatione sanissima et robustissima fuit: sed in posteros propagata, perincontinentiam et morbos magis et magis vitata est.

Secunda causa est ignorantia nostra, quia nescimus nec quærimus sana, sed sapida. Sicut e contra causa longævitas veterum fuit inter alia etiam scientia Adami et posterorum ejus, qui longe melius quam medici nostri norant vim herbarum, fructuum, metallorum, lapidum, aliarumque rerum, et quæ res haberent vim conservandi et longissime producendi vitam. Si enim multa bestiarum norunt sua medicamenta quærere: quanto magis scivit hoc Adam a Deo edoctus, et omni scientia plenus? Ab hoc vero didicerunt idem ejus posteris; vixit enim Adam usque ad quinquagesimum septimum annum Lamech patris Noe, qui non longius quam quinque annis diluvio abfuit. Didicerunt inquam et in praxi exercuerunt: non enim ut modo solent homines, delicatis et exquisitis utebantur cibis, sed salutaribus. Modo autem tanta hominum inscitia, ut in morbis præsertim noxia fere pro salutaribus appetant et sumant: et quod plus est, medicorum et peritorum consiliis non acquiescant.

Tertia, luxus et intemperantia in cibo et potu. Tametsi enim scimus aliqua esse noxia, veluti nimiam repletionem, ciborum multitudinem, crudelitatem, etc. nihilominus tamen dummodo gustui serviant, quærimus et devoramus: sicut tertia causa longævitas veterum est sobrietas; siquidem ante diluvium nec carnibus, (saltem communiter) nec vino utebantur, eratque illis naturalis cibus et potus isque simplex, absque confectione, mixturis et condimentis. Varietas autem mixtura et condimenta ciborum vitam debilitant atque minuunt, sicut Hippocrates et Plinius docent. Unde Seneca, lib. X. controvers. ait: « Quicquid avium volitat, quicquid piscium natat,

quicquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quare nunc, cur subito moriamur; mortibus vivimus: » et Innocentius papa de vilit. condit. humanæ, ait: « Initium vitæ hominis aqua et panis; guloso autem non sufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non bestię terræ, non aves cæli, non pisces maris: sed quærentur pigmenta, parantur aromata, capiuntur obesæ, quæ studiose coquuntur, et laute parantur officio ministrorum; alius contundit et colat, alius confundit et conficit, substantiam convertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriam, revocat appetitum ad irritandam gulam, non ad sustentandam naturam, non ad necessitatem supplendam, sed ad cupiditatem explendam. » Sic ille. Hinc ergo facile patet, unde vita nobis tam brevis. Et quid multis? Patet experientia longæviores esse, qui in victu temperatiores sunt: et rusticos duris assuetos et naturalibus cibus robustiores minusque morbis obnoxios, quam nobiles, et qui opipare et delicate nutriuntur. Hoc est quod dixit Ecclesiasticus, c. XXXVII. *In multis escis erit infirmitas. Et propter crapulam multi obierunt, qui autem abstiniens est, adjiciet vitam.* Videant nunc illi: *Quorum deus venter est*, ut apostolus ad Philipp. III. ait, quam iniquum et tyrannicum colant deum, cui propriam immolant vitam, eamque multis morbis et doloribus obnoxiam: quodque amplius est, non suam tantum sed liberorum et nepotum ac posterorum suorum, in quos vitiata suam transfundunt complexionem.

Quarta, contrarietas et rebellio creaturarum, celestium influxuum, elementorum, bestiarum, necnon hominum quoque: quo enim magis crescit rebellio hominum erga Deum, eo magis etiam creaturarum rebellio erga hominem, quandoquidem propter Adami rebellionem rebellant ei creaturæ. Hinc olim super regionem illam, in qua primi homines habitabant, fuere valde benigni, propitii, atque salutare aspectus siderum celestesque defluxus atque effectus, uti vult Piererius, in Genesis; siquidem illi non fiunt secundum motum cælorum generalem, qui vocatur raptus, sed secundum motum proprium octavæ spheræ seu firmamenti, qui tardissimus est, et intra centum annos tantum unum gradum conficit. Ex quo conficitur, longe alios tunc fuisse siderum aspectus, quam nunc sint aut futuri sint. Deinde, terra ipsa longe melior ei feracior sint. Deinde, terra ipsa longe melior ei feracior sint. Deinde, salsedine maris per inundationem diluvii obruta et deterior facta (quod fieri per salem constat) hinc fructus et alimenta longe succulentiora et efficaciora progignebat. Rarsum tunc maria non-

dum navigabantur, nec tot omnis generis pericula imminabant hominibus, quæ nunc passim imminant ab hominibus, bestiis, aeris infectione, etc. quia nimirum nec peccata hominum tot tantaque fuerunt. Unde olim mors suis tantum armis pugnabat in homines, nunc autem et alienis.

Quinta, Dei voluntas et arcana operatio. Tunc enim necessaria erat longævitæ, tum ut humanum genus citius propagaretur et cresceret, tum ut homines per longam experientiam, scientias et artes omnes perdiscerent (siquidem teste Aristotele: *Tempus est inventor et promotor artium atque scientiarum*), utique primi homines fidem, creationis rerum Deique cognitionem, et cultum posterioribus etiam temporibus traderent. Modo autem cum nulla talis necessitas urgeat, merito desiit longævitæ antiqua. E contra magna erat necessitas abbreviandi vitam sæculis posterioribus: tum ne homines nimium multiplicarentur, et idcirco se nimium premerent furtis, latrociniiis, fame perirent, etc. tum ut avaritiæ occurreretur quæ tanto major foret, quanto longior vita: tum ut fragilitati humanæ consuleretur, quo nimirum per laborum compendium pervenire ad mercedem vitæ æternæ posset.

Unde abbreviatio vitæ humanæ beneficium potius Dei quam pœna est. Quemadmodum enim Dei beneficium fuit, quod Adamum justitiâ originali spoliatum eiecerit e paradiso, ne videlicet comederet de ligno vitæ, et viveret miser in æternum, id est, diuturno tempore, ut vult D. Thomas II. II. quæst. CLXIV. a. II. ita beneficium quoque Dei est, quod tempus hujus exilii nobis acciderit. Quid enim est vita ista, nisi exilium, cursus in stadio et labor diurnus? Quis autem non pro beneficio habeat, si tempus exilii sibi relaxetur, stadium abbrevietur et operæ diurnæ? Magno absque dubio beneficium affectos esse dicemus operarios illos vineæ, Matth. XX. qui circa undecimam vocati, una tantum hora in vinea laborarunt, nihilominus tamen æqualem cum cæteris qui pondus diei et æstus portaverunt, mercedem acceperunt, et insuper in solutione illis prælati sunt. Hi vero nos sumus in quos fines sæculorum devenerunt. Breve enim tempus labori, peregrinationi et cursui nostro statutum est, eandem tamen cum veteris testamenti patribus mercedem promereri possumus, quia nunc copiosior datur gratia, efficaciora et plura habemus Christi et sanctorum exempla, clariorem Dei et divinorum cognitionem, januam cæli jam apertam, quæ fit ut priores etiam ad mercedem simus. Itaque verissime dixit Seneca, lib. de brevitate vitæ, cap. II. *Quid de rerum natura queri-*

mur? *Illam se benigne gessit. Vita si scias uti, longa est.* Si enim nobis viveremus et non alienis, sat temporis haberemus, et brevi ætate multa explere tempora possemus. Nunc autem hoc ipsum quod habemus modicum temporis, quasi nobis nimium sit, sæpe sæpius perdimus. Unde idem Seneca, c. I. ait: « Nos exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. Satis longa vita et in maximarum rerum consummationem large data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus brevem vitam sed fecimus: nec inopes ejus, sed prodigi sumus. Sicut amplæ et regię opes, ubi ad malum dominum pervenerunt, momento dissipantur, at quamvis modicæ si bono custodi tradita sunt, usu crescant: ita ætas nostra bene disponenti multum patet. » Exemplo est Cain, qui diu vivens tempus omne perdidit; cum contra Abel consumatus in brevi expleverit tempora multa: ita S. Catharina, decem et octo annorum plurimum profecit in sapientia, fide et virtutibus, plurimos etiam alios Christo lucrificavit. Ad extremum, si expendamus id, quod S. Bern. in meditatione, c. II. ait, Deo gratias agemus ob vitæ accisionem: *Cur tentoperere*, inquit, *vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus? Quanto est vita longior, tanto culpa numerosior.* Sic ille. Deo igitur gratias, qui vitam nobis accidit, et mortem occultavit. Tantum hoc agamus, hoc omnibus votis semper a Deo precemur, ut breviusculum hoc stadium bene decurramus, et perpetuo vigilemus, ne a morte præveniamur.

CONCIO VIII.

QUOMODO DAMNATIS OMNIS JANUA SPEI PRÆCLUSA SIT.

I. Janua justitiæ. — II. Janua amicitie. — III. Janua misericordiæ. — IV. Janua meritorum. — V. Janua intercessionis. — VI. Janua gratiæ.

THEMA.

Clausa est janua. Matth. XXV.

Rex Babylonis Balthasar, cum in convivio sedens vidisset tria quædam verba sibi in pariete quasi a manu hominis, videlicet: *Mane, thecel, phares, facie commutatus est et cogitationes ejus conturbabant eum, et compages rerum ejus solvebantur, et genua ejus ad se invicem collidebantur, ut scribit Dan. cap. V. Ita nimirum mali ominis*

tria illa verba erant, licet nondum a rege intellecta. Nam *mane* significabat: Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud: *thecel*: Appensus es in statera et inventus es minus habens: *phares*: Divisum est regnum tuum et datum est Medis et Persis. Eadem nocte interfectus est Balthasar et Darius Medus successit in regnum.

Scribit in hodierno evangelio manus hominis, hoc est, S. Matthæi tria item verba longæ prioris ominis, pronuntiata a Christo domino: quæ si nos vel prima fonte expendere, minime mirum foret, si toti immutaremur, et cogitationibus nostris turbaremur, renes nostri dissolverentur, ac genua nostra colliderentur, nobis denique nihil amplius in hoc mundi convivio quantumvis delicioso saperet, videlicet: *Clausa est janua.* Quid enim hæc tria verba aliud significant, quam postquam Christus peracto judicio cum sanctis suis cælum ingressus est, clausam esse cæli portam, et inde in omnem æternitatem exclusos esse reprobos? Quid aliud significant, quam damnatos æterno carceri mancipatos esse, cujus portæ clausæ erunt, nec aperiri poterunt, quamdiu Deus erit Deus? Quid aliud significant, quam reproborum omnium regnum numeratum et completum esse: ipsos vero in statera appensos et inventos esse minus habentes: ac denique a regno cælorum perpetuo exclusos? O tristia vocabula! O aspera verba! O venenatas voces! Hæc enim illa sunt, quæ conturbabant regem illum, qui dicebat: *Turbatus sum, et non sum locutus: et cur ita? Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui. Numquid in æternum projiciet Deus, etc?* Hoc est quod in officio defunctorum, in persona reproborum filiorum suorum lamentatur Ecclesia, cum ait: *Peccantem me quotidie et non me penitentem timor mortis conturbat me; quia in inferno nulla est redemptio.* Unde S. Gregorius, in homil. sup. hoc evangelio, ait: « O si sapere: In cordis palato possis, quid admirationis habet cum dicitur: Venit sponsus? Quid dulcedinis intraverunt cum eo ad nuptias? Quid amaritudinis: Et clausa est janua? » Cæterum quia varia sunt media aperiendi portas, aliæ arietibus quatuntur; ac denique quia non una videtur esse cæli porta, sed plures, videndum si quam earum aperire vel effringere aliquando damnati possunt.

I. Multæ et celebres civitates, non unam tantum, sed plures habent portas: sic haud dubie cælum. Tentemus omnes. Et primo, tentemus januam justitiæ, et pulsemus. Primo, Christus per sanguinem suum ex rigore justitiæ aperuit januam cæli hominibus; sanguis enim illius plus meruit, quam demeruerit peccatum: unde ad Hebr. IX. dicitur: *Per proprium sanguinem in-*

troivit semel in sancta, æterna redemptione inventa. Sed respondetur: *Nescio vos.* Nam respondet S. Bern. serm. LXXV. in Cant. « Non descendit ad inferos sanguis, qui effusus est super terram. Biberunt omnes peccatores terræ, non est, quod sibi ex eo vindicent demones ad restinguendos focos suos, sed neque homines socii dæmoniorum. » Hæc ille. Et certe si sanguis Christi recens effusus in monte Calvariæ non descendit ad infernum, ut docet S. Tho. III. p. quæst. LII. a. VI. neque postea descendet: unde et Matthæi IX. ait Dominus: *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Clavis est sanguis Christi ad reserandam cæli portam: pretium item æquivalens ad emendum cælum, sed non data clavis hæc inferis; et finitæ jam sunt nundinæ. Clausa igitur manet janua.

Pulsemus secundo. Christus obligatur ad servanda promissa. Promisit autem Joan. VI. *Eum, qui venit ad me non ejiciam foras:* et Luc. XI. dixit: Si etiam media nocte veniat amicus ad amicum petens ab eo panes, et si ille perseverarit pulsans, fore ut surgat vel propter improbitatem ejus, et det illi quotquot habet necessarios, additque: *Et ego dico vobis: Pulsate et aperietur vobis.* Sed respondetur: *Nescio vos.* Ad primum resp. damnatos non posse amplius invenire Christum, ac proinde nec venire ad illum adeoque nec intronitti posse; quia dicit Oseas c. V. *Vadent ad quærendum Dominum, et non invenient, ablatus est ab eis.* Ad secundum, respondet S. Augustinus, in homil. super hodiernum evangelium: « Dictum est, verum est, non fallaciter dictum est: Pulsate et aperietur vobis. Sed quomodo? Quando tempus est misericordiæ: non quando tempus est judicii. Non enim possunt confundi ista tempora; cum misericordiam et judicium cantet Domino suo Ecclesia: Tempus est misericordiæ, age pœnitentiam. Tempore judicij illam habes agere? Eris in virginibus illis contra quas clausum est ostium. » Hæc ille.

Sed pulsemus tertio. Justumne est ut pro temporali et momentanea sæpe delectatione peccati æternæ infligantur pœnæ? Nonne scriptum est: *Pro mensura peccati erit et plagarum modus?* Deuter. XXV. et: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentorum?* Apoc. XVIII. « O juste judex, inquit S. Augustinus, serm. CCXXVII. de tempore, in persona epulonis, secundum peccata mea compensentur supplicia ista, vel contra spatia annorum meorum, quibus habui bona, mala recipiam, aut certe duplum vel quadruplum. Cur per tot millia annorum me teneri jubes in flamma, etc. »

Sed respondet primo, S. Thomas Aquinas, I. II.

quæst. LXXXVII. a. V. culpam in quovis peccato mortali ex natura sua esse infinitam, quia peccati gravitas augetur ex dimittate personæ offensæ; siquidem nemo nescit regem offendere, longe gravius esse quam baronem, et baronem quam plebeium. Est autem peccatum mortale injuria in infinitum Dei majestatem: proinde infinitum meretur supplicium, quia scilicet ex se tantam malitiam continet, ut secundum legem justitiæ æterna castigatio ei debeat. Confirmatur, quia tanta est peccati lethalis malignitas, ut nullis bonis operibus puræ creaturæ possit ex æquo compensari (propter ea enim necessarium fuit Deum incarnari, ut condigna satisfactio Deo pro peccato exhiberetur), meretur ergo pœnam quovis tempore longiorem.

Secundo, quia qui moritur peccati lethalis conscius, nec dolet de admissio, tantundem facit ac si æternum peccasset, siquidem æternum peccaturus esset, si æternum victurus: proindeque voluntatem peccandi non amisit iste, sed potestatem. Sic fures etiam coram patibulo furantur, dum aliis gula frangitur, frustra jacitur rete ante eorum oculos. Certe inventi sunt fures Pragæ sub ipso patibulo pergræcari. Hinc ergo S. Bernardus, epist. CCLXII. ad abbatem Garinum ait: « Ob hoc procul dubio inflexibilis et obstinatæ mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetretur, quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare posset. » Audi S. Gregorium, I. IV. dial. c. XLIV. « Scire velim quomodo justum sit ut culpa, quæ cum fine perpetrata est, sine fine puniatur. Hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum sed facta pensaret: iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique si potuissent sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato. » Hæc Greg. Quam rationem S. Thom. lib. III. contra gen. c. CXLIV. explicans dicit: Ideo peccatum mereri æternum supplicium, quia si temporalem delectationem in peccato et temporale bonum æterno bono præponere non dubitavit, multo magis id fecisset, si delectatio peccati et bonum creatum æternum fuisset. Audi S. August. qui in libro de pœnitentia, ut refertur de pœnitent. distinct. VI. c. Nullus, ait: « Qui impœnitens morietur, omnino moritur, æternaliter moritur. Qui enim impœnitens finitur, si sem-

per viveret, semper peccaret. » Nimirum sicut ludo dediti et obstinate pergentes licet sæpe moniti, ut desisterent, tota nocte luderent, nisi lumen eis extingueretur; sic et peccatores.

Cujus argumentum est, quia mala damnatorum voluntas etiam in inferno durat, teste D. Bernardo, de gratia et libero arbitrio: « Nam damnatus nollet omnino puniri, inquit, justum est autem puniri, qui punienda gesserunt; noluit igitur quod justum est, etc. » Sane epulo ille, Luc. XVI. non doluit de peccato suo, sed tantum de supplicio, cum clamavit: *Crucior in hac flamma:* nec postulabat condonari sibi culpam, sed pœnam tantum. Hinc etiam diabolus respuit pœnitentiam.

Tertio, quia cum damnati, perpetui Dei inimici sint, nunquam possunt satisfacere: quantumcumque enim patiantur nunquam erit accepta Deo illorum passio. Sicut qui censui perpetuo subiecit domum suam pro mutuo accepto, v. g. mille florenorum; is licet intra viginti annos persolvat totidem florenos, quos accepit mutuos, non tamen idcirco liberabitur a censu, sed nihilominus in perpetuum semper debet mille florenos, videlicet capitalem summam. Tiberium Cæsarem, narrat Suetonius, lib. III. cap. VI. cuiusdam pœnæ maturitatem precanti respondisse: *Nondum tecum in gratiam redii.* Quare etsi damnatus quispiam post mille annos in pœna exactos, mortis maturitatem rogaret; quid aliud responderet Deus, quam id: *Nondum tecum in gratiam redii?* Et si idem post centum millia et rursum post millionem annorum rogaret; annon semper audiret: *Nondum tecum in gratiam redii;* nec redibit in æternum, quia cum redire voluit, ab eo auditus non est. O tremendum verbum?

II. Pulsemus januam amicitie, et dicamus cum hodiernis virginibus: *Domine, Domine, aperi nobis, q. d. amici, amici sumus* (quomodo respondent, qui noctu veniunt ad excubias), tu Dominus noster, et nos servi et ancillæ tuæ sumus. Dicere aliqui potuerunt: Domine virgines sumus in fide, quia nunquam a fide tua defecimus; aut cum ulla hæresi scortati sumus? Alii: Domine servi tui primarii sumus, sacerdotes, religiosi, episcopi, etc. qui tibi in servitio proxime adstitimus, et quas a secretis et cubiculis fuimus: alii: Domine, nos illi sumus, quos tu in vita maxime dilexisti et honorasti ac præ cæteris cumulasti dignitatibus, honoribus, divitiis, scientiis, formæ venustate, nobilitate, etc. alii dicent: Nos sumus tui secretissimi consiliarii, quibus omnia nota fecisti, et fideliter concedidisti: *Domine, Domine, nonne in nomine tuo*

prophetavimus, et in nomine tuo virtutes multas secimus? Alii denique: Domine nunquid non tu pater noster es, creator et redemptor? Nonne blandiebaris nobis olim? Nonne portabas nos in brachiis tuis? Nonne edebamus super mensam tuam? Nonne pascebas nos lacte sacramentorum tuorum? Sed clausa est janua: *Amen dico vobis: Nescio vos.*

Ratio est, quia tunc Christus a Patre suo constituetur mundi judex, qui nunc est ejus Pater. Quod si is, quem in certa causa tua advocatum tibi delegisti, insperato fiat judex; tunc necessario respondebit: Charissime, deinceps tibi assistere nequeo, neque me advocatum tuum expectes sed judicem, nec possum priores respectus attendere, atque ita non novi te amplius. Proh! quam blandus et suavis fuit primus Christi adventus! *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam,* Matth. XXI.

Sed qualis adventus ejus secundus? Dominus in igne veniet et turbo quadrigæ ejus, inquit Isaias, cap. LXVI. et Ose. XIII. cap. *Occurram eis, quasi ursam raptis catulis,* ait ipsemet Dominus. Bono adhuc tempore dicebat prodigus ille, Luc. XV. *Vadam ad patrem meum et dicam: Pater peccavi in cælum et coram te,* ideoque invenit patrem. Nimirum etsi discesserat in longinquam terram, non tamen extra terram. At qui ad infernum usque abierunt, non jam patrem inventuri sunt, sed judicem. Sic epulo ille, Luc. VI. licet de semine Abrahæ esset: *Pater Abraham, dicebat, miserere mei: judicem tamen ut ursam invenit, non patrem: Recordare,* inquit Abraham, *quia recepisti bona in vita tua, etc.* ecce judicem.

III. Pulsemus januam misericordiæ et dicamus: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.* Dicit nunc Israel, dicit nunc Aaron, dicit nunc qui timent Dominum, quoniam in æternum misericordia ejus: ergo: *Domine, Domine, aperi nobis non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam tuam salvos nos fac.*

Sed clausa adhuc est janua. Nemo est, qui audiat puisum, qui audiat preces, quia ait Jeremias, Thren. III. *Inexorabilis es; opposuisti nubem ne transeat oratio.* Clausum est cælum, clausus est infernus: *Si locutus fuisses mane,* ait Joab ad Abner, II. Reg. II. *Recessisset populus persequens:* at vero: *Post judicium non patet precum locus,* ait S. Augustinus, serm. XXIII. de verbis Domini. Sed ubi illa tua æterna misericordia? Nonne Domine difficilius: contines misericordiam, quam justitiam. Numquid in æternum projiciet Deus, aut abscondet misericordiam suam a generatione in generationem: aut obliviscetur misere-